DISSERTATIO JURIDICA, *DE* VERBIS HONORIS,

Vulgò

Ehren-Worte/

Quam

SACRO-SANCTA TRIADE AUSPICE,

SUB PRÆSIDIO

DN. DAVIDIS Scheinemann/U. J. D.
Jur. Natur. & Gent. ut & Inſtit. Imper.
P. P.

IN AUDITORIO JURIDICO,

Ad diem Novembris
Horis conſuetis,
Tuebitur

GEORGIUS CHRISTOPHORUS Ruos.

TUBINGÆ,

ExTypographeio GEORG. HENRICI REISII, Chalcograph. LL. Or.

ANNO 1702.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

A C

Digitized by Google

CUM DEO!

§. I.

SOlenne eſt iis, qui ſelectiora argumenta Diſſertationibus Academicis illuſtrare ſatagunt, ut, explicatione vocum qualiscunque præmiſſa, Lectori ſcopum Tractationis planiſſimò dicendi genere inſinuent, neve vanâ, ex ipſo Inſcriptionis ſitu, conceptâ ſpe lactetur, ſedulò caveant. Quocirca receptæ methodo in præſenti ſcriptione morem geſturus, non abs re fuerit, paucis præmonuiſſe, (1.) Verba Honoris in ea latitudine hîc non venire, ut iis comprehenſa velimus, quæcunq; directò in alterius honorem dicuntur vel ſcribuntur. Honor enim (cujus ſignificationes varias, ſtudio brevitatis prolixiùs hoc loco non enumerandas, vid. ap. Iſaac Schock. *de Honor. θ. 1. & ſeqq.* B. D. Lauterb. *de Honor. Tut. θ.* 4.) quatenus pro ſigno obſervantiæ, obſequii, cultus, &c. quo alios ætate, ſapientia, natalibus, dignitate, aut meritis conſpicuos excipimus, paſſim à Scriptoribus uſurpatur, verbis non minùs, ac aliis notis in ſenſus occurrentibus ſub tam variis loquendi & ſcribendi formulis, præprimis moderno novitatum, vanitatumvé feraciſſimo ſeculo, deferri conſuevit, ut per indicem vix notare liceat, quàm latè hoc ſenſu pateat Verborum Honoris ambitus. Eò referri poſſunt infinitæ gratulandi, gaudendi, lugendi officio deſtinatæ formulæ. Speciminis loco inſervit deſcriptio humanitatis, apud Curt. *L.3.c.12.* Neque (2.) per Verba Honoris indigitamus aſſeverationes, quæ ſiunt quaſi ſub obligatione oppignoratione honoris, bey meinen Ehren / inter Illuſtres ac generoſæ dignitatis perſonas utriusque ſexus, uſitatas, de quibus vid. Myhl. *Nomolog. c.6. §. 6.* Hahn. *ad tit. de Minor. n.* 3. Lauterb. *Tr. Syn. ad tit. de Jurejur. n. 26. & ſeqq.* poſt plures Dn. Zoll. *Diſſ. de Promiſſ. Gener. fid. vall. præprimis c. 6.* Multò minus (3.) verba iſta præambula, queîs veniam recenſioni rerum ſordidarum, quæ pudorem aliquatenus dicenti excutere ſolent, rogare ſolemus: Reverenter zu ſagen / mit Ehren zu melden. Quem morem non noſtris demùm, ſed anti- Honoris mia.

antiquiſſimis jam jam temporibus receptum fuiſſe, colligimus ex Curt. *L. 5. c. 1. n. 38.* ibi; *Honos auribus ſit.* Cui add. Senec. *Controv. 1. 2.* Nec (4.) per Verba Honoris Titulos Honorum omnes, titulis officii contradiſtinctos, vulgò Ehren-Tituln/ innuimus, de quibus latè & ex profeſſo egêre Seld. & Feltm. *de Titul. Honor.* Dn. Rechenb. *de Nat. & Uſ. Tit. ſect. 1. aph. 2. & ſeqq.* Sed ad eum potiùs ſignificatum voces in Rubro poſitas inflectimus, quo præcipuè nudæ Civilitatis exhibitioni inſerviunt. Cui proximè accedunt paſſim apud interpp. Juris noſtri

onym. aliosvé varii generis ſcriptores conſignatæ voces Hiſpanis vocantur *Palabras di Complimientos,* teſte Limn. *de Jur. Publ. L. 4 c. 6. num. 74.* Italis, *Paroli di Compimiento*: refer. Myhler. *de Princip. & Stat. Imp. c. 101. num. 24.* Gallis, *Complimens;* Latinis, voce ab exteris potiùs adoptatâ, quàm nativâ Complimenta, verba complimentoſa. Mauric. *de Tac. & ambig. Conv. L. 2. T. 4. 48.* Curialia, Curialitatis, Civilitatis & Urbanitatis. Klock. *de Contribut. c. 7. n. 119.* Verba jactatoria. *l. 19. § 3. ff. de æd. Ed.* In Sacro Codice κενοφωνίαι, χειροίλογοι, i. e. verba ſine rebus, vocum vanitates. *1. Timoth. 1. verſ. 6. 2. Tim. 2. verſ. 16. Eph. 5. verſ. 4.* ventoſa, in ventum prolata. *Prov. 25. verſ. 14.* metus ſermo ſine re, Nazianzen. *Ep. 196* Germanis, Complimenten/ Ehren-Wort Laſſen. in ſeinen bürgerl. Reiß- und Tiſch-Reden. *Colloq. 9 p. 551.*

§. II. Ut verò Verborum Honoris vis ſignificandi, attributa & effectus intimiùs noſcantur, nominis explicationi definitionem realem ſubjungere συνταξίας ratio expoſcit. Hîs autem præeuntem nullum, cujus veſtigia premere potuiſſemus, inſpicere licuit. Sepoſita tn. tantiſper authoritate JCti Javoleni in *l. 202. ff. de R. I.* quâ nonnulli inducti definitiones ſecuriùs negligi, falsò perſuaſum habent, tentabimus annon, in ſubſidium commodioris doctrinæ, iſthæc deſcriptio

itio. aſſumi queat: Verba Honoris ſunt ſigna in converſatione civili uſu recepta, quibus propenſum & exuberantem affectum, citra vinculum obligationis perfectæ, aut diminutionem juris, libertatisvé noſtræ, alteri ſignificamus.

§. III. Generis loco *ſigna* ponere allibuit; Hæc verò *latiùs* patere, quàm verba oretenus prolata, vel in ſcriptis exhibita, quivis intelligit. Nam non ſolâ loquelâ, ſed aliis quoque ſignis alteri aliquid ſignificare poſſumus. *l. 93. §. 1. ff. de acquir. vel omitt. hered. l. 7. §. f. de ſupell. leg. l. 22. C. de fideicomm.* qualia infinita ferè arbitrio

trio

trio hominum cum certa ſignificatione recepta eſſe,patet ex trad Puf. *de J. N. & G. L. 4. c. 1. §. 2.* Uti verò ad diverſos *fines* tendunt indices iſti, præter ſermonem ad aliquid ſignificandum recepti; Ita honoris quoque, i.e reverentiæ, benevolentiæ, amicitiæ, favoris, &c. causâ benè multa fieri ſolent. Huc pertinent Salutatio quæ apud nos potiſſimum fit capitis denudatione,aut corporis inflexione. V.Dn.Wildvogel. *Diſſ. de Jur. Salut. c. 3. §. 23.* Oſcula quæ pro more Regionis infigi ſolent, vulgò Ehren-Kuß & infinita ferè alia iſta iſtiusmodi ſigna, infrà ſuo loco,vel ſummo ſaltem digito,tangenda

§. IV. Dicimus porrò: *In Converſatione Civili uſu recepta*; Cùm enim neque voces,neque certi literarum ductus certam rem natura notent, conf. Auguſtin. *de Doctrin. Chriſt. L. 2. c. 24.* Puſend. *de J. N. & G. L. 4. c. 1. §. 4.* Uffelm. *de Jur. quo hom. hom. in ſerm oblig. c. 3. §. 11. & 12. impoſitioni* quoque humanæ & *uſui* hujus iſtiusve regionis accepto ferenda eſt vis ſignificativa, quam verbis honoris tribuimus. Et cùm non tàm ſpectanda ſit proprietas, aut analogia Grammatica, quàm potiùs uſus popularis,quem penes arbitrium eſt, & jus,& norma loquendi, uſurpationi verborum honoris aliquod repagulum poſitum eſſe,ultrò agnoſcimus, ne videl. quis exiſtimet, à cujusvis loquentis,aut ſcribentis mero arbitrio pendere,quas loquendi formulas huic fini accommodare velit. Nec enim ex opinionibus ſingulorum,ſed ex communi uſu nomina exaudiri debent. *l. 7. §. 2. ff. de ſupell. leg.* Et, ſi juſta fuit vera aſſertio Marci Pomponii Marcelli: *Ne Imperatorem quidem,cum hominibus barbaris poſſit civitatem Romanam dare, vocabulis, nominibusq́; barbaris eam dare poſſe.* Ref. Sueton. *de Ill. Gramm.* quantò minus huic, vel iſti privato formulas loquendi, quæ vel ex *impoſitione* publica, vel ſaltem *uſu* [illegible], hanc ſignificandi vim acceperunt, ut ad inducendum vinculum obligationis perfectæ, ac Jus alteri perfectè quærendum ſatis aptæ communiter reputentur, in alium & diverſum ſenſum detorquere ſicque ſub ſchemate verborum honoris effugium quærere licebit. Vid eleg. loc apud Sext.Empir. *adv. Matth. L. 1. c. 10.* Lud. Viv. *ad Aug. de Civ. Dei l. 11. c.* 10. Add. Menoch. *Conſ 407. n. 27.* ubi de requiſitis agit, quibus probatur communis loquendi uſus. Reliqua definitionis verba differentiam ſpecificam continent, à fine præcipuè deſumptam; de quâ ſuo loco.

§. V. Definitionem juſto ordine excipit Divisio. Varias au- Diviſio

tem & infinitas ferè extare civilitatis formulas,nullus eſt, qui ignoret : Aliæ namque ſunt laudandi, aliæ extenuandi, aliæ offerendi, aliæ promittendi,&c. ſed delibabimus eas maximè, quæ in foro Juris uſum præbent,& infrà quoad effectus uberiorem merebuntur disuſſionem. Uti verò variæ ſunt hominum voluntates,& infiniti ferè linguæ lapſus, inter quos, moribus præprimis hujus ſeculi inſpectis, frequentiùs aures noſtras ferit,qui peſſimo hominum generi, adulatoribus,thurisque aulici venditoribus proprius eſt, cùm ſub variegatis honoris & amoris titulis,atque effusâ Officiorum oblatione,animus nocendi callidè occultatur, non incongruum erit, partitionem indè *Verborum* honoris & quidem à Fine,depromere,in *Noxia* & *Innoxia*. *Illorum* nomine complectimur peſſimum iſtud ſimulandi artificium,quo id agitur,ut alter, ampliſſimo verborum in ſpeciem adornatorum apparatu ineſcatus, in caſſes improviſos eò ſecuriùs incidat, Vid. Senec. *Ep.*103. *Hæc* à fine uſuque innoxio, quo nec Jus alterius læditur,nec LL. Socialitatis turbantur,denominantur.

II. A *cauſa inſtrumentali* alia ſunt ore prolata; *§.* 1. *l. de milit. Teſt. l.*24.*ff.eod.* alia *ſcripta. l.* 17.*ff. de Jur. Codicill.*

III. Ab *Objectio* in *Generalia* & *Specialia* : Illa, quæ & nuda, ſimplicia, indefinita, vulgaria, vaga dici poſſent, ſunt, cùm affectum noſtrum *indefinitè* in aliquem teſtamur,atque ampliſſimis verbis benevolentiam noſtram declaramus; puta, dùm totos nos alicui addicimus,nos ipſos, noſtraque omnia alterius miniſteriis offerimus. Puſend. *de J. N & G. L.* 3. *c.* 5. *§.*10. formula extat apud Ciceronem: *Ego verò tibi profiteor atq; polliceor eximium & ſingulare meum ſtudium in omni genere officii. Libr.* 5. *Ep. ad fam.* 8. Add. Manut, *L.* 3. *Ep.* 29. *L.* 4. *Ep.*1.*in fin. Hæc* Objectum magis *determinatum* reſpiciunt,ubi quis vel ſuper certa re, vel in certo negotio animi ſui ſenſa curialibus loquendi formulis explicat. V.g. de hæreditate alteri relinquenda, de beneficio accepto compenſando, &c. Hic verò lingua manusvé coërcenda eſt,ut intra limites ſe contineant, cùm facilè fieri poſſit; ut in promiſſionem perfectam tranſeant verba, quibus certi determinati quid alterum à nobis expectare jubemus.

Ef- s Re- §. VI. His præmiſſis, antequam parti *Generali* finem imponamus, ad præmuniendam tractationem ſpecialiorem, non abs re fuerit,disquirere: An vitii quid in ſe habeant Verba Honoris? Et, cùm citrà dubium hic actus ſit regulabilis ad *normam* ſuam directivam

ctivam moralem , hæc autem non ſit Lex duntaxat *civilis*, ſed & *naturalis* , ante omnia curatiùs expendendum erit, an ad *hujus* regulam exactè congruant? Non deſunt ſanè rationes,quæ cauſam eorum valdè odioſam & ſuſpectam reddere videntur. Ne enim de iis quicq. moneamus,quæ cum Præcepto de non *lædendis* aliis apertè pugnant, eoque cognationem,quam natura inter homines conſtituit, labefactant, annon in ipſa profuſione verborum temerariâ aliquod hæret vitium,cujus non immeritò non inſimulatur , qui turbam magis in eodem luto hærentium , quàm rectæ rationis cynoſuram ſecutus, plura oſtentationis cauſa effutit,quàm reverà præſtare ſibi propoſuit? Sapiens , priusquam loquatur,multa conſideret , quid dicat , cui dicat,quo loco,quo tempore; ex monitu Ambroſ. & Auguſtin. in Pſ. 51. Eò ſpectant tot Hebræi ſapientis monita: *Noli citatus eſſe in lingua tua. Ne temerè quid loquaris ; Verba prudentum ſtaterâ ponderentur. Eccleſ.cap.28.verſ.29.& 30.* Quippè ideò natura linguam vallo dentium,& ſepto labiorum munivit, cum aures nobis dederit patulas, ut non ſolùm parcè, ſed & conſideratè & *rectâ intentione* loquamur. In limine offendit,& ad ipſam domus januam impingit, qui aut nullo fine, aut non bono loquitur. Conf. Puf. *de J.N.& G.L. 1. c. 7. §. 4.* Quis verò negare auſit, profuſos nugarum Curialium ſive Complimentorum ſectatores,hâc ipſâ chordâ ſtrenuè oberrare? Verba ſunt *ſigna* conceptuum *mentis* & rerum,ad hoc potiſſimùm inventa, ut ex iis ſententiam dicentis cognoſcamus & dijudicemus. Et cùm vocabulorum multiplices poteſtates ex impoſitione, & arbitrio hominum ſint, utiq; eâdem linguâ loquentes mutuâ ſe obligatione adſtrinxiſſe cenſentur,vocabulis iſtis utendi ut ſtatim intelligi poſſint ab iis, cum quibus colloquuntur. Nam ſi ſine tali obligatione cuivis liceret, verbis ſenſum,quem vellet,affingere,fruſtra fuiſſet tale ſignorum & vocabulorum repertum. At quotus quisq; eſt,qui,verba honoris fundendo, non in alia omnia abeat? mellita verba ore promere,blandè ſalutare, complecti peramanter,honoris & amoris titulos ad nauſeam repetere, laudare affatim,polliceri largiter officia , quæ nihil habent impendii , thus aulicum vendere; hodiè proh! dolor Magiſterium eſt fucatæ & fallacis linguæ in totâ penè vita humana. Cui licet *pr oerteſir* alteri nocendi demas, ita ut civilitas iſta nudo verborum cortice exhibita nec cum tertii nec ejus,ad quem verba honoris diriguntur , læſione conjuncta ſit, labem tamen omnem ita vix abſterges. Quùm enim Sapientiſſimus Creator hominem condiderit rectiſſimum , & loquendi facul-

facultatem eidem conceſſerit, non ſolùm, ut mentis conceptus verbis ſignificantibus edere poſſet, verùm etiam ut veriſſimas tùm in ſui, proximique commodum, tùm maximè in Summi Numinis Gloriam, ad ſanctiſſimum ejus nutum, ſecundùm rectam rationem ex ipſo audirentur, non pernitioſa ſaltem, ſed & *otioſa* verba ſeverè prohibuit, *Matth. 12. verſ 36. Dico vobis, quòd de omni verbo otioſo, quod locuti fuerint homines, rationem reddent.* Et quanquam circa *quidditatem* verbi otioſi, & genuinum loci iſtius Matthæani intellectum, in partes ſcindantur eruditi. Vid. è Patribus Origen. *Homil. 1. in P. 38. verſ. 2. Tom. 1. fol. 473.* Hieronymi *Comm. in Matth. h. l.* Bernh. *tr. de præc. & diſpenſ. c. 12. fol 928.* Ex Scholaſt. *Thom. 1. 2. Q. 18. a. 9.* Vasquez, *in 1. 2. Tom. 1. diſput. 52. c. 1. n. 3. & 4. & c. 6. n. 38.* Sanchez. *Sel. Diſput. 4. n. 1* In eo tamen plerique conſpirant, Verbum otioſum tale potiſſimùm dici, ob defectum operationis decentis & ad bonum finem directæ, ita, ut quodcunque verbum non ab homine ad finem aliquem divinitus oſtenſum, vel conceſſum dirigitur, & profertur, & ſic effectu debito, quantum in ſe eſt, deſtituitur, hâc claſſe rectè comprehendatur. Inde verba levia & inania, futilia, quæ nulli ſunt uſui, & in ſpecie quoque πολυλογίαι, quæ hodiè vocari ſolent Complimenta ſine ſoliditate ibidem prohiberi, putant Vorſt. *Philoph. Sacr. P. 1. c. 3. p. 80.* Dannhauer. *Theol. Conſc. Tom. poſt. Dial. 5. p. 233.* His accedit, quòd artibus iſtis ſimulandi & diſſimulandi (quas verbis honoris, Civilitatis & curialibus hodiè occultare haud infrequens eſt) aſſuetus ſibi ipſi omnem ſedem detrahere, ac ſe inidoneum reddere videatur, qui cum bona fide agi poſſit; cùm ejusmodi hominis dicta & facta non poſſint non eſſe ſuſpecta. Id quod ſocialitatem non parùm labefactat, plurimisque, quæ aliàs inter homines exerceri poterant, officiis remoram injecit. Vita quippè ſocialis expoſcit veras audire & reddere voces. Uffelm. *d. tr. c. 2. §. 12.* Hinc Cicero: *Fundamentum juſtitiæ eſt fides, i. e. dictorum, conventorumq; conſtantia & veritas, eaq; de cauſa fidem appellatum* dicit, *quia fiat, quod dictum eſt.* Hominem ſolidis artibus & veritate niti, nec ad iſtiusmodi furta confugere decet. Valdè de formis eſt oratio, ſi res non comitetur verba. Averſatur hanc humanitatem Deus, quæ tàm ex porrecta eſt promittendo, & tàm adſtricta præſtando; Vult ille homines inter ſe ſincerè agere, nec linguam tàm procul abire ab animo permittit. Et quemadmodum mutuum à nobis amorem, ſic mutuam quoque fidelitatem, quæ amoris filia eſt, exigit.

§. VII.

§. VII. Enimverò iſthæc verborum honoris *abuſum* & *fucatam* cum ſtudio fallendi & nocendi conjunctam *Civilitatem* ſatis premunt, quibus ſi quis linguam, nobiliſſimum ſocialitatis inſtrumentum, fœdare geſtiat, non ſaltem ob violatum præceptum de non lædendo, ſed & temeritatis & vanitatis reprehenſionem meritò incurrit. Num verò hæc labes à Verbis honoris inſeparabilis ſit, & in univerſum formulæ iſtæ loquendi, quibus affectum ad quodvis officiorum genus pronum teſtamur, in LL. veritatis *Juſtitiariæ* eousque impingant, ut ex converſatione civili penitùs proſcribi mereantur, res eſt altioris indaginis. Per exempla ſingula ſpeciatim ire, negotium eſſet nimis diffuſi laboris. Illud verò nemo forſan inficiabitur, in communi vita hodienum formulas deferendi honorem, amorem & officia, civitate quaſi donatas eſſe, quæ, ſpectatâ ſolâ ſignificatione *Gramatica*, eum, ad quem diriguntur, largiùs ab offerente ſperare jubent, neque tamen, ſi hunc plus dixiſſe, quàm ſenſiſſe eventus probet; ille de fractâ fide aut eluſâ ſpe, ſed de ſua ſæpiùs credulitate queri debet, quòd videl. nimio rei familiaris augendi ſtudio abreptus, verba contra *uſum* eorundem *popularem* accipiendo in Calendarium illicò retulerit, quæ alter, ceu materiam liberalitatis, ſuæ diſcretioni reſervavit. Ecquis enim negare auſit, verba nonnulla honoris ita fundi poſſe, ut iis *nudò* explicemus animum noſtrum, qualis nunc eſt, ita tamen, ut nullam nobis afferre *neceſſitatem* velimus, in iſtâ voluntate perſeverandi. Quia & ſi quis voluntatem ſuã pro *futuro* tempore determinaverit, ad aliq. alteri gratuitò præſtandum, neq; tamen ſigno ſufficiente ſignificaverit promiſſis ſtandi neceſſitatem, vix eſt, ut ſermone ſuo alterius Jus violâſſe, juſtamque ipſi querelarum cauſam præbuiſſe dici queat, ſi vel maximè eventus non reſpondeat, nec fiat id, quod dictum eſt. Sicut enim ad aſſertionis *ſinceritatem* nihil aliud requiritur, quàm ut *veritas* cogitationis adſit pro præſenti tempore, ſeu ut nobis reverâ ſit talis animus, qualem profitemur, neve mendacio alteri illudamus: Ita utroque in caſu poteſtatem ulterius deliberandi & δευτέρας φροντίδας aſſerens tacitè ſibi reſervâſſe creditur, manetque intereà Jus illibatum mutandi conſilii. *Habet* namque, juxta Grotium, *animus humanus non tantùm naturalem potentiam mutandi conſilium, ſed etiam Jus*, ut rectè id facere poſſit, ubi nulla obligatio neceſſitatem adfert, in ſententia ſemel profeſſa perſiſtendi. *de Jur. B. & P. L. 2. c. 11.* § 2 Add. Pufend. *de J. N. & G. L. 3. cap. 5. §. 5.* Uffelm. *d. tr. cap. 6.* §. 4. Ubi verò in termi-

Digitized by Google

ius *nudæ aſſertionis* verba honoris ſeſe non continent, ſed in *pollicitationem* & *promiſſionem* pleniorem tranſeunt, quò referri ſolent exempla eorum, qui in Miniſterio Principum locum potiorem occupant, quibus ad prævias clientum preces, ſuam commendationem, interceſſionem ac promotionem largius ſpondere quotidianum eſt, nec hic quidem ſemper *jus* in promiſſarium *perfectum* conferri, ut ad implendam promiſſionem invitum promiſſorem adigere queat, benè notat Puf. *d.l.* Ad Sanctimoniam tamen Juris *Naturalis* vix accommodari poteſt eorum opinio qui mutationem voluntatis (utut prægnans ratio à priori ſententia diſcedere non jubeat) extra omnem reprehenſionem ponere verentur. Tametſi enim multis caſibus eveniat, ut ne obligatio *perfecta* ſit in nobis, nec Jus *exigendi* in alio, ſicut in debito miſericordiæ & gratiæ reponendæ apparet, quibus hoc debitum conſtantiæ, ſive fidelitatis aſſimulare contendit Grotius *d. c.* 11 § 3. & in exemplo quoque ſuppoſito homines generoſi animi malint videri propriæ *virtutis* impulſu ferri ad faciendum officium, quàm propter Jus alterius: In foro tamen *interiori* lubricitas iſta linguæ cenſuram non effugit, ne cvanâ ſpe alteri ita illudere, communis, quæ nos invicem devincit, humanitatis ratio patitur. Conf. *Proverb. 25. verſ.* 15.

§. VIII. Quantùm ad *Jus Romanum*, quo hodiè communiter in *Germania* utimur, primò quidem intuitu videtur, ejus in regendis Verbis Honoris, vel nullas, vel minimas eſſe partes; Quæ enim *Civilitate* morum ſpectant, aliunde normam & præcepta repetunt, neque, ut eò LL. Civiles, quibus officia, ex juſtitia *particulari* debita, potiſſimùm inculcare curæ eſt, ſeſe demittant, ſcopus, quem Rector Reipublicæ præfixum habet, exigit. Conf. Althus. *de Converſ. Civ. Lib. 1. c. 1. & 2.* Jac. Thomas. *Ph. pract. Tab. XIII. annot. 66.* Neque, ſi ad meram oſtentationem & *abuſum* usque, vulgò ſic dicta *Complimenta*, proferuntur, Latoris Civilis Sanctionem *pœnalem* propterea incurrunt. Et quamvis eo fine primùm coiverit civitas, ut ſine probro atque macula vitam honeſtè homines agerent, nusquam tamen, quæ eorundem pravitas eſt, vitia omnia per LL. extingui poſſunt; Videas in Rebuspubl. cœteroquin non peſſimè conſtitutis, tàm prævalida & adulta ſæpè incedere *vitia*, quibus ſufflaminandis civitas par non eſt. Id quod *Tiberius* apud Tacitum eleganter non minùs, quàm verè expreſſit, *Annal. 3. c.* 53. jung. *Hiſt. L. 4. c. 74.* Grot *L. 2. c. 20. §. 19. & 20.* Pufend. *de J. N. & G. L. 8. c. 3. §.* 14. Rechenb. *d. Vitiis*, *quibus*

bus Civitas impar. Franzk. *L.2.R.7. n. 8. & ſeq.* Eò forſan, nec incongruè quidem, lapſus linguæ frequentiores, maximè *vaniloquentiæ*, quæ in verba honoris otioſa & jactatoria, ſeſe effundit, referre poſſis, quibus, ſi intentio *nocendi* proximo deſit, tanta labes non adhæret, ut *pœnam* in foro *humano* decernere neceſſe ſit, præſertim cùm apud Europæos pleroſq; mos adhibendi pinguiores iſtiusmodi loquendi formulas in Converſatione Civili tantas radices egerit, ut evelli difficulter queat Conf. Comment. *ad d.l. Grot.* Neque verò quisquàm arbitretur, diſſimulationem iſtam, aut *tolerantiam* & permiſſionem vitiorum in Rep. omninò jus conferre *licitè* agendi, ita, ut agens *immunitatem* quoque habeat in conſcientia. Nunquam enim *nuda* permiſſio legis civilis efficit, ut actus aliquis non ſit contra Jus Divinum, aut extra pœnæ divinitùs imminentis metum. Sed *impunitatem* talis lapſus in *foro* ſolùm *civili* habet, cujus rigor adeò non ſufficit tollendis omnibus malis, ut cujusque pudori & honeſtati multa relinquere, & quandoque temporis, ac neceſſitatis causâ quædam transmittere neceſſum habeat. Fac. *l. 144. & 197. ff. de R. J. l. 1. §. ven. ff. de peric. & comm. rei vend, l. 5. §. 2. C. d. neceſſ. ſerv. hæred.* Conf Bœcl. *ad Grot. L. 1. c. 1. §. 9.*

§. IX. Quid ergò? nihil circa Verba honoris vindicabimus Juri *Romano*? Non ſanè, ſi ea LL. noſtræ nec ut civilis converſationis condimenta disertè præcipiunt, nec omnem eorum exceſſum pœnâ coërcent, protinus extra tabulas publicas collocari debent. Legis virtutem non in præcipiendo, prohibendo, aut puniendo ſaltem conſiſtere, benè monet JCtus Modeſtinus *in l. 7. ff. d. LL.* Igitur & hic Romanæ LLationis vim penitius ſcrutari juvabit. Et quanquam verba concepta Inſcriptionis noſtræ in LL. *Juſtinianeis* fruſtra quæſiveris, rem ipſam tamen ſubinde ibidem occurrere, ex iis, quæ ad text. *l. 17. ff. d. Jur. Cod. §. 1. J. d. Mil. Teſt. l. 24. ff. eod. l f. ff. qui teſt. fac. poſſ. l. 22. §. 2. ff. de jur. fiſc. l. 19. §. 3. ff. d. ædil. ed.* junct. *l. 19. ff. ad exhibend. c. 41. X. & Clem. fin. de Sentent. Excomm.* Comentatores noſtri annotârunt, abundè pateſcit. Quibus ſi *analogiam* juris, ceu proximum, & in defectu LLationis expreſſæ limpidiſſimum *fontem*, è quo genuinas & ſolidas decidendi rationes haurire, veram Jurisprudentiam affectantibus ſolenne eſt, jungamus, in proclivi erit dijudicare, qualem Jurisprudentia Romana huic argumento noſtro, maximè quoad *effectus*, normam præbeat. Scilicet, cùm apud pleroſque ſtudii iſtius ſe-

ſtatores in confeſſo ſit, noluiſſe Jura Romana nimium conſtringi oris libertatem: Conf. Conn. *Comm. J. Civ. L. 5. c. 1.* Covarruv. *ad c. 2. de pact. in 6. P. 2. §. 4. num. 13.* Andr. ab Abexea *de Pact. num. 270. & ſeqq.* Weſemb. *ad tit. de Pact. num. 9.* facilè inde inferre licet, eand. LLatoris mentem & hîc fuiſſe, ut videlicet implementum eorum, quæ oſtentandæ duntaxat benevolentiæ causâ, per Verba Honoris offeruntur, aut promittuntur, honeſtati cujusq; & diſcretioni relinqueretur, neq; hoc animo dicta ad neceſſitatem obligationis revocarentur. Augetur enim probitatis in nobis & conſtantiæ ſtudium, cùm relinquitur, ubi virtutes iſtæ elucere poſſunt, quod fieri vix poſſet, ſi quæcunq; effuſo ſermone jactantur, ad neceſſitatem juris pertraherentur. Vid. Connan. *d. l.* Vinn: *ad §. 1 J. de oblig. n. 6.* Accedit, quod ne quid, omni promiſſioni *perfectæ*, omnibusque numeris abſolutæ Jus *Romanum* pleno effectu aſſiſtat, ſed, ut evitarentur infinitæ lites plura, feriâ quoque intentione promiſſa, hominum inter ſe ſpontaneæ fidei & probitati relinquere, quàm arctis LL. vinculis conſtringere maluit. *l. 7. §. 4.* ibi: *nuda pactio obligationem non parit. & §. 5. ff. de pact.* Quæ verò per verba honoris efferuntur oblationes & pollicitationes, ſæpenumero in promiſſionem perfectam, vel ob defectum acceptationis, vel quòd à promittente id jam non agatur, ut neceſſitatem præſtationis ſibi accerſere velit, non incidunt, ut adeò mirum non ſit, effectus earundem, juxta placita quoque Romanorum, diverſo jure cenſeri.

§. X. Videri quidem poſſet modernis *Germanorum* moribus alia omnia inducta eſſe, eò quòd non Veterum duntaxat *ſimplicitati*, verba ſterilia & inefficacia dare, ignotum fuerit, ſed & in hæc usque tempora inter noſtrates ſervatum dicterium: ein Wort / ein Wort / ein Mann / ein Mann / laxitatem iſtam in ſermonibus vix admittat. Verùm quicquid vel Majorum noſtrorum fidei intemeratæ, vel moribus, Jure Romano recentioribus, circa effectum *nudæ* conventionis tribuitur, non eò pertinet, ut dictionem omnem vel promiſſionem vinculo Juris ad agendum efficaci illiget, ſed nonniſi pacta prævià deliberatione, animoque Jus in alterum conferendi inita, LLationi Germanicæ ſuccumbere, omnes agnoſcunt, quotquot differentiam iſtam Juris Romani & moderni obſervationibus ſuis illuſtrare aggreſſi ſunt. Indè & notabiliter Jus noſtrum Provinciale *Würtemb.* diſponit: Welcher dem andern etwas NB. bedächtlich verſpricht / es ſey mit bloſſen Worten / oder andern Zuſagungen / derſelbig ſoll ſein Verſpruch und

Zuſag

Zuſag halten / oder auf des andern Theils gebührlich anſuchen und klagen mit Recht darzu angehalten werden. *P. 2. tit. 22.* Cæterùm quod Civilitatis formulas & Verba Honoris in colloquiis & alloquiis uſitata, maximè reverentialia & obſequialia, concernit, nec hæc à Jure Romano inter inania referri, aut eo loco haberi, ut à diſcretione & arbitrio ejus, cum quo nobis negotium eſt, ſimpliciter ſuſpendantur, ſatis colligimus *ex t. t. C. Ut Dign. ord. ſerv. l. 1. C. de præpoſ. ſacr. cub. l. 2. l. fin. C. de Off. div. jud. l. 4. C. de princ. ag. Lun. C. de quæſt.* & *Mag. Off. l. 1. C. de Silent. l. 1. C. de Off. rect. prov.*

§. XI. Cauſa Efficiens PROXIMA eſt *Voluntas*, commune & primarium actionum noſtrarum principium, in hunc præciſè *finem* directa; Uti enim alia quævis dicta & ſcripta, ab animo & *intentione* loquentis aut ſcribentis, menſuram aut æſtimationem ſuam potiſſimùm recipiunt; Ita & voluntate ejus, qui verba ejusmodi fundit, rem præcipuè æſtimari, convenientiſſimum eſt. Voluntas verò hæc debet eſſe *declarata*; nam in mente retenta nullam habet operationem, quia jus aut obligatio inter homines ex merè cogitatione haud naſcitur. arg. *l. 225. de Verb. S. l. 18. ff. de Pœn.* Grot. *L. 2. c. 6. §. 1.* & *c. 20. §. 18.* Quapropter *liquidò* conſtet neceſſe eſt, non alium ſenſum iſtis loquendi formulis intendi, quàm eum, qui ad *effectum* Verborum honoris *proprium* collimat. De quo, ſi controverſia incidat, uti ſæpènumero fit, altero colloquentium pro nuda animi benevoli explicatione, altero autem pro vinculo perfecto contendente quâ ratione res decidi queat, id ſanè eſt, quod intactum tranſmittere non poſſumus. Cùm enim ex præmiſſis jamjam pateat, vim aliquid definitè ſignificandi ex hominum arbitrio & inſtituto provenire, neque tàm anguſtos impoſitionme uſumvé loquendi dictionibus, in communi vita receptis, poſuiſſe limites, quin ambiguum ſenſum recipere aptæ ſint, idcircò, uti in aliis, voluntas per alia ſigna, quàm verba, manifeſtari poteſt, nempe per conjecturas urgentes & ſufficientes, ex ſignis, per rectæ rationis diſcurſum elicitas & hic idem evenit, ut, licet verba, quoad exteriorem ſui figuram, ad negotium aliquod obligatorium æquè ac ad humanitatis officia referri poſſe videantur, aſſumptis tamen conjecturis appareat, ultra nud. mi affectionis amicalis conteſtationem, hactenus partes non proceſſiſſe. Cauſa E Proxim

§. XII. Quænam autem ſint *argumenta* illa, quibus in genuinum verborum intellectum deducimur, id ſanè eſt, quod certa & perpetuò vali-

valitura regula vix definire licet. Conjecturas *Urgentes* exigimus, maximè ſi verba in diverſam partem ab eo, cum quo nobis negotium intercedit, trahantur, & ſignificatio quam alter prætendit, à verbis nudè conſideratis non planè abhorreat. Quanquam enim, uti in univerſum ſigna ad aliquid ſignificandum recepta, ita & verba de animi actibus certitudinem poſt ſe relinquant non mathematicam, ſed probabilem tantùm Grot. *L.* 2. *c.* 4. *§.* 9. Add. Franzk. *L.* 2. *Reſ.* 2. *n.* 12. cum verbis aliquid eloqui poſſint homines, à quo forſan intrinſeca voluntatis deſtinatio longè diſcrepat, non tamen patitur natura humanæ ſocietatis, ut actibus animi ſufficienter indicatis nulla ſit efficacia. Et proin quod ſufficienter indicatum eſt, pro vero habetur adverſus eum, qui indicavit l. 7. §. 2. ibi: *Nam quorſum nomina, niſi ut demonſtrarent voluntatem dicentis? Equidem non arbitror, quemquam dicere, quod non ſentiret, ut maximè nomine uſus ſit, quo id appellari ſolet: Nam vocis miniſterio utimur; Ceterùm nemo exiſtimandus eſt dixiſſe, quod non mente agitaverit ff. de ſuppell. leg.* Aliàs quippe irrita redderetur obligatio, ſi quisq; ſenſum, quem vellet, ſibi affingendo, ſeſe liberare poſſet, pertendendo, ſuam ſententiam diverſam fuiſſe ab ea, quam alter arripuit: & in nihilum recideret uſus ſermonis atq; pactorum, niſi ei, cui promiſſum quid eſt, jus eſſet cogendi promiſſorem ad id, quod recta & comunis verborum interpretatio ſuggerit. Pufend. *L.* 5. *c.* 12. §. 2. Franzk. *d. Reſ.* 2. *fere per tot.* Uffelm. *d. l. c.* 3 § 9. Atque his ipſis, ex natura rerum, fine ſermonis, & conditione ſermocinantium petitis immotis principiis, innituntur notiſſima, quæ ab interppr. Juris Romani eliciuntur, axiomata: Verba ſemper cum effectu eoque plenisſimo eſſe accipienda. *l.* 5. *§.* 2. *ff. ne quis eum, qui in jus voc.* & cum virtute operandi, *l.* 1. *§.* 1. *ff. quod quisq; jur. in alium ſtat.* Beſold. *Conſ.* 29. *n.* 1. *& ſeqq.* ut res, de qua agitur, magis valeat, quàm pereat. *l.* 12. *ff. de reb. dub. l.* 80. *d. V. O.* Barbos. Locuplet. *voc. Verbum. ax.* 22. *& ſeq.* Ex quibus nullo negotio regulam conſtruere licet, cui in dubio Juſtitiæ Sacerdos citra hæſitationem inniti poſſet: Verba Honoris in dubio facilè præſumenda non eſſe. Notanter dicimus: *in dubio*: Quum enim quis formulas, *uſu populari* hujus vel illius Provinciæ hâc ſignificandi *vi* communiter uſurpari ſolitas, præſertim in converſatione civili & familiari, ubi de alienatione rerum, juriumvé noſtrorum in alium translatione ſerii ſermones rariùs miſcentur, adhibeat, res difficultate ferè caret omni, omnique dubio. Qualis illa oblatio apud Ciceron. *L.* 1. *Ep. fam.* 8. vel ſi ap. Gallos, quibus frequentiſſimum eſt, res ſuas,

ab

ab aliis multis elogiis exornatas offerre dictione illa, quæ apud Germanos quoque hodiè abuſui proximè accedit: *C'eſt à votre ſervice.* Es ſtebet zu Dienſten / mein Herr hat darüber zu diſponiren / vel phraſi Italorum: *La mia Caſa è voſtra*, aliquid offeratur. His in factis, uti in certis, conjecturis non eſt locus *l. 137. §. 2. ff. d. V. O.* neque operoſiori ſcrutinio Judicis, aut JCti opus eſt. Ubi verò in uniformem ſignificatum verba non patent, aſſumptis conjecturis opus eſt, ut genuinus ſenſus eruatur. Grotio tres loci conſtituuntur, è quibus conjecturæ voluntatis promuntur, quando Verba obſcura ſunt, aut ambigua: ex *ſubjecta materia*, ex *effectu* & *conjunctis. L. 2. c. 16 §. 4. & ſeqq.* Nonnulli ex Interpp. J. *Rom.* plures fontes pandunt, plerique tamen, ad tres iſtos commodè referri poſſunt. Nos arbitramur, argumenta, ſcopo præſenti inſervientia ex multiplici variantium circumſtantiarum complexu rectè colligi. Harum enim diverſitas variat facta: Sie machen einen Unterſchied in der Sach; ut loquitur Ordin. Crim. *art.* 150. earumq; tanta vis eſt, ut ſubinde totam rei qualitatem mutent, & ob id jura quoque variant, per vulgata. Ante omnia vero rimanti, quo animo aliquid dictum, vel ſcriptum ſit, præ oculis verſabitur circumſtantia *Perſonæ*: quis dixerit, vel ſcripſerit? Ubi communiter expendi ſolent varia vitæ genera & ſtudia, ordines, ſtatus, Sexus, ætates, aliæque conditiones; quamvis præſumtio inde certa argumentum ſolidum & adæquatum vix præbeat, niſi aliis adminiculis ſuffulciatur. Ponamus enim Titium omnium, quibus innotuit, judicio, pro eo haberi, qui effuſo ſermone, ſtyloque aulicis familiari, verba ſine re dare amet; ſi in negotio, ſerio plenaque animi deſtinatione geſto, alteri quicquàm promiſerit, hoc ſolo nexum obligationis haud evadet, quod formulas iſtiusmodi promiſſionem ſibi jam familiares reddiderit, easque temerè effutire aſſueverit. Sic etiam inter conjunctos, affines, amicos, quibus frequens eſt, liberiores ſermones miſcere, faciliùs aliquid citra animum obligandi dictum præſumitur. Sed & huic præſumptioni robur aliunde addi, neceſſe eſt, ut inde Voluntas, in mera Civilitatis verba directa, rectè colligatur. Proximus huc ſpectat conjectura à circumſtantia *Objecti* ejusq; qualitate & quantitate deſumpta; ſi illud vel nimis *generale, vagum* & *indefinitum*, vel tàm *amplum* ſit, ut ab offerente ſive promittente, citra rei familiaris graviſſimam jacturam, præſtari nequeat. Exempla ſunt in promptu, & in vita communi ferè quotidiè obvia. Fingamus: Cajum equum commodato

modato accepiſſe à Mevio, cui in vicem redhoſtimenti, ſe ſuaque omnia ampliſſimâ formulâ devovet; vel reciprocè officia humanitatis, quotquot ab eo proficiſci poterunt, largiſſimè pollicetur; *omnia, quæ habeo, tua ſunt;* cujus oblationis formulam allegat Bald. *ad §. 1. Inſt. de Mil. Teſt.* vel ſi dicat in vernacula noſtra: Er wolle Ihme davor hinwiederum in allen Gelegenheiten dienen; wo etwas in ſeinem Vermögen/ſo Ihme dienſam oder annehmlich/ ſolle er befehlen. Vel ſi Princeps Miniſtro, ſuper modicitate Salarii ſæpiùs conqueſto, ob rem peregrè ex voto geſtam, applauſum ſuum his forte verbis teſtaretur: Er wolle dieſer ſeiner geleiſteter/ getreuer und erſprießlicher Dienſte wohl ingedenck ſeyn/ und dieſelbe bey aller Gelegenheit gebührend belohnen. Item ſi literis commendatitiis, quales inter literatos & maximè Profeſſores Academiarum frequentiſſimè commeare ſolent, clauſula adjiciatur: *Quod igitur in Te eſt, florentiſſimum illum juvenem ama fove, meam & Parentis vicem exple. Sed & certò Tibi perſuade, me amicis Tuis gratiſſimo animo redditurum, quod Tu tàm benignè præſtitiſti mei, &c.* de qua vid. omn. B. Fromman. *Diſſ. de Commend. §. 36.* ubi benè docet, verba poſteria non eſſe fidejubentis; *tùm* ob incertitudinem objecti, dùm nihil determinatur, ſed ad gratitudinem potiùs reſpicere, quæ non contractus, ſed beneficia accepta ſubſequitur. In dubio enim de favore & officiis humanitatis, ex debito *morali* gratitudinis conferendis, ſenſiſſe credendus eſt, qui ita loquitur, *tùm* quia in dubio ea interpretatio capienda eſt, quâ minus obligatur loquens. *l. 34. ff. de R. J.* Richt. *de Contract. Diſp. 12. §. 1. l. a. tùm* quia promiſſio rei incertæ non facilè effectum ſortitur. *l. 115. pr. ff. de V. O. l. 75. l. 94. eod. l. 1. C. de dot. prom. l. 56. §. 3. Mand. l. 17. Cod. eod.* Ex quibus apparet, in exemplis quoque ſupra enumeratis promiſſionem non niſi per Verba Honoris factam intelligi.

§. XIII. Illud verò, quod de *indeterminata* promiſſione modò diximus, cum grano ſalis accipiendum eſt, ut tunc demùm procedat ubi non *quantitas* aut *qualitas* duntaxat rei præſtandæ, ſed ipſa quaſi *ſubſtantia* promiſſionis ſub iſta incertitudine & indeterminatione notat. arg. *l. 74. §. 1. l. 75 ff. de V. O.* & trad. Gœdd. *de C. & C. Stip. c. 6. concl. 19* Quod ſi enim v. g. ſubditi aut ruſtici Dominis ſuis operas indeterminatas, ohngemeſſene Frohn-Dienſte/ licet ampliſſimis verbis promittant: Daß ſie Ihrem Herrn zu Dienſt erſcheinen wollen; ſo offt/ und viel er es verlangen werde. Vel: Er ſolle befugt

ſeyn/

ſeyn/ſo viel Dienſte von Ihnen zu fordern / als Ihm immer beliebet w[illegible]d. Procul dubio, quicquid dictum, non ita dictum, ut jactetur, ſed præſtetur. arg. *l.* 19. *§.* 3. *ff. de æd. E.* Et quanquàm hic moderationem ex æquitate adhibendam eſſe, moneant religioſiores JCti, Carpzov. *L.* 1. *R.* 54. junct. *Reſp.* 46. *circ. fin.* Beſold. *voc.* Frohn. Balth. *de Op. ſubd.* p. 311. B D. Frommann. *Diſſ. de oper. ſubd.* *th.* 9. & 39. haſce tamen promiſſiones obligatorias eſſe, Interpp. noſtri communi calculo firmant. Pariter ſi Subditi vel Clientes Jus Albergariæ, die Atzung in ſe ſuſceperint, hâc largiſſimâ promiſſionis formulâ: Was mit ſo viel [illegible] nen und Pferden/als dem Schutz-oder Landes-Herrn beliebt / deren Zahl man nicht wiſſen kan/ (alicubi additum legimus: daß auch mit ſchönen Frauen und Spielleuten) verzehret wird auszurichten und zu bezahlen / conventionem ſuſtineri, juſque *perfectum* inde Protectori aut Domino Territorii naſci, colligimus ex traditis Wehneri, *Obſ. Pract.* voc. Schauren Mager. *de Alv.* [illegible] *c.* 10. *n.* 277. Moderationem tamen & hîc, ex æquitate ſuadent Binder. *de Jur. Alberg. concl.* 11. & 20 Klock. *V. I. Conſ.* 11. *n.* 69. & *n.* 134.

§. XIV. Multùm porrò lucis, ad explanationem talium verborum, confert circumſtantia *Loci.* Conf Comment. *ad §.* 1. *verb. ut plerumq; ſermonibus fieri ſolet. Inſt. de Mil. Teſt.* ubi cum Hottomanno & aliis Vinn ſermones iſtos refert ad *convivia*, circulos, ac congreſſiones familiarium, ubi ſæpè leviter quædam effundimus & jactamus magis, quàm ſeriò loquimur. Quamobrem eleganter Martialis Procyllum quendam ridet, qui inter pocula juſſus poſtrid è cœnatum venire, ſeriò aderat: citans illud vulgatum proverbium: *Odi memorem compotatorem.* Vigl. *ad d. §. 1. Inſt. de Mil. Teſt.* Huc etiam referri poteſt Conſuetudo *Loci* ſive *Regionis*, in quâ forſan frequentiorem Verborum Honoris uſum receptum eſſe apparet. Sæpè quoque ex circumſtantia *temporis* genuinam verborum ſententiam eruere pronum eſt. Cùm enim e. Tate Eccleſ. *cap.* 3. *v.* 1. omnia rectè ſeſe habeant, ſi debito tempore fiant dubitandum non eſt, regulas quoque decori quandoque poſtulare, ut comi utàmur ſermone, quem ſi penitùs proſcriptum velis, de mediis utilibus & neceſſariis, ad continuandam & colendam ſocietatem humanam multùm detraxeris, quibus ademptis, vix habitura eſt, in quo conſiſtere poſſit. Hinc ex modeſtia alius ſe al[illegible] præſtantiorem exiſtimet, ex monito Apoſtoli ad Phil. *c.* 2. *v.* 3. ita ut in dando, non verò accipiendo honore alios aliis præire conveniat. Add.

C Rom.

Rom. 12. *ỿ.ſ.* 10. *Ephеſ.* 5. *ỿ.ſ.* 21. 1. *Petr.* 2. *ỿ.ſ.* 17. Pariter Cic. *Debemus conſiderare in omni re, quid aptum ſit, & conſentaneum tempori, & perſonæ, tùm quid in dictis factisq; dedeceat. Orat. ad Brut.* Et alibi: *Difficile dictu eſt*, ait, *quantoperè conciliet animos hominum comitas affabilitasque ſermonis.* Igitur ſi quis in tali *temporis* articulo conſtitutus ſit, ubi vel ad benevolentiam & amorem inter æquales conciliandum, vel apud honorationes, extenuandæ ſuæ conditionis ergò, aliquid amiceat, quod diminutione juris ſui inferre videtur, hoc tamen animo haud dictum, neque ab alio hunc in finem acceptatum præſumitur.

§. XV. Non planè inſuper quoque habendum, an aliquid dictum ſit in præfatione & *præparatoriis* negotii poſtea celebrati, an in ipſo *tractatu*, ejusque concluſione. Fingamus, Titium, ob urgens æs alienum, Mevio venalem obtuliſſe equum; cùm verò hunc ad emendum minus proclivem offenderet, & inter alias rationes, ipſum ab emptione retrahentes, defectum pecuniæ paratæ, aliis magisque neceſſariis uſibus impendendæ, & quod ad credentiam quicquam emere haud ſoleat, obtendi videret, in hac verba prorupiſſe: Wann es nur an der baaren Bezahlung auſſtehen ſollte; wolten ſie ſchon übereinkommen; Er möchte wünſchen / daß Mevius ihme 1000. Reichs-Thaler ſchuldig wäre / ſollte ihm vor gute Bezahlung nicht leid ſeyn. Si paulò poſt contractum perficiant, neque tamen fidei, de pretio habendæ, mentionem diſertè injiciant, Titius a. moroſus ſit in tradendo equo, & à Mevio actione empti pullatus exceptione Implementi, nondum ſoluti pretii ſeſe tueatur: cui replicando emptor, ad credentiam rem ſibi venditam eſſe regerit. Quæritur, uter audiendus ſit? Fidem de pretio habitam fuiſſe, verba iſta, quibus difficultatem ſolvandi pretium in parata pecunia, ab emptore oppoſitam, Venditor extenuare contendit, arguere videbantur. Verùm ſecundùm ea, quæ proponuntur, exceptionem venditoris, haud eliſam cenſemus; idque ex communi diſtrahentium voto, ac præſumpta voluntate, utpote qui res ſuas præſertim neceſſitate urgente, non aliter alienare velle creduntur, quàm ſi viciſſim pretium in uſus ſuos acceperint, alioquin non diſtracturi, multoque minùs paſſuri, eas à ſe abire. *l.* 9. *pr. ff. de Jur. dot.* Vinn. *ad §.* 41. *Inſt. de R. D. num.* 1. Rath. *de Contrah. Empt. oſſ.* 12. *n.* 1. Harppr. *ad §.* 41. *de R. D. n.* 16. & 17. Hahn. *ad Weſ. tit. de contr. Empt. n. pen.* cui præſumptioni Jus noſtrum Rom. eò facilius ſuffragatur, quòd eâ inſuper habitâ, commercia: à quibus

Rei-

Reipubl.commoda magna ex parte dependent. *l. 44. pr. de uſuc.* junct. *l. un. C. de Nundin.* facilè, ſi neceſſitati & naturali venditorum voto non ſatisfieret, impeditentur. Et cùm huic conditioni, tacitè ex naturâ contractus ſubintellectæ, venditor, rem ſimpliciter tradendo, haud renuntiâſſe, ſed potiùs obligatione ſuæ, quâ emptori adſtrictus eſt, ſatisfacere voluiſſe cenſeatur, ut videl. pretium cum effectu exigere poſſit, neve ipſi hoc, re nondum traditâ, petenti exceptione oppoſita denegetur. juxt. *l. 25. ff. de A. E. V. l. 5. §. 4. ff. de dol. mal. ex.* quantò minus fides de pretio habita exiſtimabitur, ſi res ſtet in terminis nudæ conventionis, neque ad traditionem venditor proceſſerit. Alex. *V. 6. Conſ. 46. n. 6.* Honded. *V. 2. p. 3. Conſ. 52. n. 38.* Græv. *L. 2. Concl. 15. Conſ. 1. n. 14.* Neque pro contraria ſententia quicquam facit declaratio venditoris, in figuratione caſus commemorata; *tùm* quia per ſe voluntatem, ad credentiam equũ diſtrahendi, non oſtendit; *tùm* quia verba iſta non in ipſa contractus perfectione, ſed circa præliminaria & præfationes, interpoſita, cùm id ageret venditor, ut benevolentiam emptoris captaret, eumque ad emendum induceret; iſti v. actus oblativi, Vorſchläge und Tractaten / da blos von der Sach geredet worden / à venditione non tantùm longiſſimè diſtant, ſed nec, jx. veriorem ſententiam, claſſe pactorum comprehenduntur. Ad hæc enim conſenſus requiritur, in idem placitum coaleſcens, qualem in figuratâ facti ſpecie, ubi animus, ad credentiam, auf borg / contrahendi, ex parte venditoris nec expreſſis, nec æquipollentibus verbis declaratus, nec ex hujus nudis ſermonibus quicquan acceptatum ab altera parte fuit, quod materiam pacti obligatorii referre poſſet, fruſtra quæſiveris. Quocirca non incongruè huc applicaverimus, quæ in caſibus ſimilibus pro regula à Dd. venditantur: Non idem ferendum eſſe judicium de actu ipſo, ejusq; præparatoriis. Scacc. *de Comm. §. 1. Q. 7. par. 2. ampl. 8. n. 24.* Weſemb. *Conſ. 15. n. 40.* Cothm. *Vol. 3. R. 34. n. 60.* argumentum à tractatibus præliminaribus ad actum ſ. contractum non procedere. Mevius *conſ. 52. n. 154.* & *P. 2. Dec. 203.* eò quod actu perfectio in concluſione, wann man ſich beyderſeits eines gewiſſen Schluſſes verglichen / non in nudi tractatus jactatione conſiſtat. arg. *l. 8. ibiq. Gloſſ. C. de Reſc. Vend. l. 25. ff. qui teſt. f. p. l. 9. C. eod.* Dd. *ad l. 7. §. 12. ff. de pact.* Vasq. *de Succ. Creat. L. 2. §. 12. n. 50.* Men. *de A. I. Q. & C. L. 2. Caſ. 742.* Mev. *p. 7. n. 203. n. 12.* Multa ſiquidem dicuntur, quæ ad concluſionem & finalem effectum non perveniunt.

l. 19 §. 2. *ff. de ædil. edict.* Dices: hæc omnia tunc demùm benè procedere, cùm partes in præparatoriis negotiis ſubſiſtunt, non verò ſatis congruè ad noſtram *hypotheſin* applicari, quia emptio in eſſe plenè cõſtituta omnibusque numeris abſoluta ſupponitur. Quo caſu in præfatione conventionis dicta in ipſa conventione repetita cenſentur. *arg. l.* 35 *ff de S. P. U.* Verùm cùm actus ſemper judicentur ex *principali* agentium *intentione*, nec ultra illam quicquam operari debeant, durum nimis eſſet, venditori ex eo ſolo, quòd Mevio, facultates ſuas forſan animi causâ duntaxat extenuanti, verbis *civilibus* reſpondertit, eique dubio adhuc circa quæſtionem præjudicialem: an equum emere valeat? hærenti, fiduciam, quam de facultibus ad ſolvendum paratis concepit, phraſi, magis ad conciliandum affectum mutuum, quàm contrahendam obligationem, accommodatâ, expoſuerit, neceſſitatem, de pretio, in emptione demùm ex intervallo ſubſecutâ, fidem habendi, eidem impingere, atque ita ex verbis nonnihil ambiguis declarationem ejus, quod ex intervallo, ſecundùm conſuetam & qs. naturalem, res præprimis mobiles vendentium, inclinationem, geſtū eſt, petere: maximè cùm Mevius conſvetudinem emendi & ſolvendi numeratâ pecunia ſe hactenus ſecutum eſſe, diſſertè profeſſus ſit. fac. trad. Bertazzol. *de Cla ſ. Inſtr. cl.* 38. *Gl. n.* 6. Mant. *de tac. & amb. conv. l.* 4. *T.* 21. *n. ul.* fieri namque conſueta in dubio etiam facta præſumuntur, niſi contrarium manifeſtò oſtendatur. Maſc. *de probat. V.* 2. *C.* 731. *n.* 1. Men. *de præſ. L.* 6. *Præſ.* 14. *n.* 16. Ad hæc vulgata iſta traditio: Quod poſterioribus præcedentia influant, adeoque illa ſecundùm hæc declarari conveniat, tùm demùm procedit, ubi mens & voluntas contrahentium apertior in actu ſequenti ſe exerit, id quod hic factum eſſe non apparet.

Ca Impulſiva. §. XVI. *Cauſa Impulſiva*, quæ hominem movere poteſt, ut verba Civilia ſive Curialia in ſermone adhibeat, varia eſt, prout varias hominum Voluntates eſſe, ipſe JCtus agnoſcit *in l.* 4. *ff. ad Sc. Treb.* Alii impelluntur deſiderio ſibi *conciliandi* amicos; vel ut affectum provocent. Ita Principes & Gentes liberæ de felici rerum ſucceſſu iuvicem gratulantur, vel in partem luctus veniunt v. Mulz. *Repr. Maj. Imp. P.* 3. *c.* 15. *ſ.* 1. *n.* 5. & 6. alium movet vulgaris *humanitatis ſtudium*, ne in converſatione cvili, in qua omnem vultum, habitum & geſtum corporis, quin & orationem ipſam, ad quandam decori & elegantiæ rationem componere moris eſt, moroſus aut agreſtis videatur.

tur. Sunt, qui aſſiduis, *importunis q; flagitationibus* diu defatigati & qſ. expugnati, per verba honoris petentium impudentiam, utcunq; reprimere, quam aures patulas ulterius commodare malunt. fac. *l. 1. C. de pet. bon. ſubl. Extrav. Execrabilis de præbend. in pr.* ibi; *Improbitas importuna petentium à nobis & prædeceſſoribus noſtris non tam obtinuiſſe, quàm extorſiſſe plerumque noſcitur. c. fin. de Reſcript. in 6.* ſæpius ſtimulat ſtudium procurandi majus bonum, cum læſione alterius jurisve ipſius diminutione conjunctum. Ex quo fonte fluunt ſpecioſa venerantium officia, certantesq; mutuo mentientium blanditiæ, quas perſonales nugas cum riſu ſpectaſſe Alexandrum Farneſium Ducem Parmenſem, rebusque intentum officiorum iſtiusmodi inania eum transmiſiſſe, memorat Fam. Strad. *de Bell. Belg. Dec. 1. L. 9.*

§. XVII. Circa *Subjectum*, ſive perſonas, quæ Verba Honoris effundere, & ad quas dirigi poſſunt, non eſt, ut multum operæ impendamus, cum à *generalioribus*, quæ de habilitate *phyſicâ & morali* colloquentium, maximè quoad *effectus* juris, hinc inde in jure, & apud ejus Interppr. congeſta ſunt, ad *applicationem* progredi facilè ſit. Neque dubitamus, quin & ab iis honoris causâ verba miſceri poſſint, qui aliàs per contractus ſeſe obligandi *facultate* jure deſtituti ſunt, dummodò rationis uſu polleant, & ad actus humanitatis exercendos habiles reputentur. Nullam proin agnoſcimus differentiam *Sexus, Status, & Conditionis.* Non enim *æquales* duntaxat in colloquiis familiaribus in humaniſſima iſtiusmodi liqueſcunt verba, ſed & ab *inferioribus* erga Superiores, & vice verſâ, formulas loquendi haud rarò uſurpar videas, quas in hunc cenſum dextræ Interpretationis LL. referre jubent. Neq; intereſt ſive tales ſint ratione *poteſtatis*; Uti Pater & filius, Dominus & Servus, Maritus & Uxor, Imperantes & ſubditi. Sive quoad *Dignitatem* tantum; uti ſe habent ad invicem Seniores & juniores, nobiles & plebeji &c. Quin & Summæ Poteſtates, vel fœdere *inæquali*, quod de Dignitate aliquid delibat, judicio Grotii *L. 1. c. 3* §. 21. junctæ; vel aliàs gradu Dignitatis diſtinctæ. Subject

§. XVIII. Exemplum illuſtre quod apprimè huc ſpectare videtur, in recenti omnium, qui acta publica inſpexerunt, memoriâ hæret. Cùm enim anno hujus ſeculi 90.mo *Galli* de fide Ducis *Sabaudiæ* non obſcuris indiciis ſe dubitare profiterentur, per literas, juxta & Legatos, hæc diffidentiæ ſemina Dux è Regis animo evellere anniſus eſt; neq; tamen ejusdem deſideria ex aſſe explere potuit, quia

 certio-

certioribus munimentis ſibi eo nomine caveri expeteret. Quare Catinatus Generalis militiæ Gallicanæ Præfectus cum univerſis, quibus præerat, militum copiis in Pedemontium effuſus, duo peditum millia & binas equitum deſultoriorum cohortes Regi ſuo in Galliam à Sabaudo transmitti cupiebat, bidui ſpatio tantùm indulto, intra quod animi ſui ſententiam ſuper hac re Dux exponere jubebatur, quibus ille poſtulatis, utut ægrè, ne vim majorem in ſe provocaret, tandem aſſenſurum ſe declarabat, eâ ſpe fretus, fore, ut nihil tunc hoſtile à Gallicanis copiis expectandum haberet, quod & à Catinato promiſſum fuit. Sed hic, promiſſi hujus parùm memor, poſt paucos dies, alio eoque certiori modo, nempè, ut poſtea expoſuerat, Auguſta *Taurinorum* & *Verrua* in manus Gallorum traditis, de vacillante, dubiaque Sabaudi fide Regi ſuo caveri poſtulabat, & intra 24. horarum ſpatium à Duce, quid conſilii ceperit, expromi flagitabat. Quâ denunciatione Princeps iſte mirificè coarctatus, quò tempeſtatem hanc, ſibi ſuisque Provinciis imminentem, averteret, literis *officiorum* pleniſſimis die xx. Maji, ad Regem Galliarum *reverenter* exaratis, ad dedendas Urbes illas paratum ſe eſſe ajebat, obnixè humiliterque tamen rogans, ut Rex negotio huic ejusmodi conditiones dici permitteret, quas Princeps, tàm arcto neceſſitudinis vinculo eidem adſtrictus, à magnanimitate tanti Regis expectare queat, maximoperè eidem obſtrictum ſe futurum teſtatus, ſi Auguſtæ Taurinorum, tanquam in Principali ſede, ſummo cum Imperio relinqueretur, ejusq; loco, aliam Pedemontii Urbem eligendo, ſibi conſuleret. De harum literarum ſenſu, juxta atque effectu, obligandique vi poſtea inter Gallos & Sabaudos diſceptatum fuit, quando illi ceſſionem illatum Urbium abſolutè, ſimpliciterque à Sabaudo promiſſam, & ad eam illico implendam, eundem teneri affirmarunt; Hi autem Ducem ſummâ neceſſitate, & malorum, quæ à Catinato intendabantur, metu compulſum, Epiſtolam illam, *Suæ erga Regem reverentiæ* eò magis teſtandæ, paulò liberalioribus verbis adornaſſe contendebant. Verba concepta Epiſtolæ, ſuper hoc negotio à Seren. Duce *Sabaud.* ad Reg. *Galliar.* ſcriptæ, & in Novellis Anni 90. communicatæ in paſſu corcernente ita habent: *Quand Monſieur de Catinat m'a temoigné, que V. Maj. deſiroit une partie de mes troupes, qui ſont en fort petit nombre, je l'ai aſſeuré,* que V. M. en étoit le maitre, *et qu'elles paſſeroient les monts inceſſament, pour aller au ſervice de V. M. Il m'a fait ſçavoir depuis, que V. M. deſire outre cela quelques places dans le Piemont, pour Gage de mes bonnes intentions;*

tions ; Et quoyque V. M. n'ait beſoin d'autre gage que celuy de mon cœur, qui luy ét entierement devoüé, ayant fait prier pluſieurs fois Monſ. de Catinat de s'expliquer, il a à la fin fait connoitre, que c'etoient les places de Verüe & la Citadelle de Turin. Je ſuis prét à donner à V. M. cette preuve ſi eſſentielle de ma ſoumiſſion, en remettant les dites places, la ſuplîant tres-humblement, de vouloir bien agreér, que ce ſoit avec les conditions, qu'un Prince, qui à l'honneur de luy appartenir de ſi prés, doit eſperer de la bonté & de la Generoſité d'un ſi grand Roy. Mais s'il plaiſoit à V. M. de choiſir telle autre place, qui luy conviendra dans le Piemont au lieu de la Citadelle de Turin, pour me laiſſer dans ma Capitale avec la Dignité d'un Souverain, je luy en ſerois infiniment redevable. Cùm Catinatus nondum deſiſteret, ſed ex verbis: *Que V. M. étoit le maitre, &c.* conventionem, ad producendam obligationem efficacem, urgeret, ex parte Ducis Sabaudiæ promiſſio, nonniſi ſub *Verbis Honoris* facta prætendebatur, hâc additâ Interpretatione: *Qu'on ne ſçauroit diſconvenir, que les termes de reſpect & de ſoumiſſion, dont un moindre ſe ſert à l'egard d'un plus grand, ſoient abligatoires ſur le pied literal, & que quand on écrit à un grand, que tout ce, que l'on a, ét à ſon ſervice, qu'il eſt maitre de cecy et de la cela, et de diſpoſer abſolument de tout, ce n'eſt qu'une* expreſſion extremement obligeante, *qui ne ſignifie rien, et ne tire à conſequence aucune obligation poſitive. Quand un Souverain veut un riche meuble, une pierrérie, une Maiſon, un parc, un chateau de ſes ſujets, celuicy luy répond, qu'il en ét le maitre abſolu, qu'il n'a rien, qui ne ſoit à ſon ſervice, trop heureux d'avoir quelque choſe, qui luy puiſſe plaire. Le Souverain en a il une donation pour cela? et une pareille lettre ét ce un titre, dont un Souverain puiſſe ſe prevaloir ſans une oppreſſion evidente? quoyque ce ſoit un Suverain avec un ſujet; à la plus forte raiſon un Roy avec un Prince, qui ét infiniment au deſſous de luy, mais qui eſt enfin Prince libre & ſouverain dans ſes Eſtats; que ſi on ajoute à de pareilles expreſſions le mot de ſuppliant, d'agreer, ou de vouloir bien avoir egard, ou quelques autres termes pareils, cette adition detruit entierement la force de l'expreſſion precedente, ce terme de ſuppliant n'ayant aucun ſignificat de ſoy méme, s'il n'ét relatif à ce qui ét dit auparavant.*

§. XIX. Frequentius Verba Honoris uſurpari videmus inter eos, qui in *Aulis* Magnatum verſantur, Hoſt uti apud quos in verbis, humanitatem officii mutui comiter aſſeverantibus, ingeniorum dictorumque certamen, nec intra limites auguſtos conſtitutum licet obſer-

obſervare. Et quanquam non deſint communes formulæ, ſemper tamen ibi expectatur aliquid, velut novâ arte immutatum, aut genio dicentis repertum. Feſtivæ proſtant literæ *B. Lutheri* ad Frider. Elect. Saxon. ſcriptæ, in quibus Electorem de nova veſte ſibi promiſſa interpellat, additâ præcautione, ſi id Elector *Joh. Pfeffinger.* committere vellet, curandum eſſe, ut non ſolum comis promiſſio, ſed & res ſequeretur; illum enim blandorum verborum fila ducere probe noſſe, ſed pannum bonum ex illis non texi: Er könne faſt gute Worte ſpinnen/ es werde aber nicht gut Tuch daraus/ ref. Vit. Lud. à Seckendorf. *Hiſt. Luther. L. 1 Sect. 24 §. 48. in addit.* His proximo loco jungi ſolent *Statiſtæ* & Viri ut vocantur, *Politici*, qui ſingularem virtutum homileticarum, urbanitatis, humanitatis &c. harmoniam, & facilem in converſatione cum quibusvis dexteritatem præ ſe ferunt atque omnium hominum ingenio ſemet accommodare, omnium gratiam moribus comodis & variis ſibi conciliare norunt, quos ideò dicimus homines omnium hominum, omnium horarum. JCtiſs. Stryck *de C. v. N. c. c. 3. §. 2.* Meliùs fortè dixeris, homines *civiles*, quales ſunt omnes illi, qui morum aliquâ urbanitate & cultu præ reliquis pollent, in quibus plus nonnihil ſalis eſt, quàm in aliquo de vulgo, quique adeò in communi vita elegantiùs ſeſe gerunt, tùm quoad ſermonem, tùm quo ad inceſſum & reliquos mores externos corporis: In vernacula noſtra, Leute/ die ſich wol aufführen/ in ihren actionibus eine gute Manier zeigen/ und mit andern umzugehen wiſſen. Bœclero dicitur ars iſta Elegantia moris civilis, cultoris vitæ, morumque elegantiorum peritia, & deſcribitur, quod ſit prudentia benè & decenter ſeſe gerendi in vita civili erga ſuperiores & inferiores & æquales, ut ſi quidam officiorum ordo & in ordine ratio, & in ratione decus. Monita & præcepta eò ſpectantia præter Bœcler. *in Diſſ. de Eleg. Moris Civ.* integris libris tradiderunt Guazzius & Althus. *de Conv. Civ.* Galateus *de Moribus, cum not. Müller.* Anon. *Ebl. ô. b. Elegant.* & *Cerem. Aulic. Anno 1689* Director. *edit.* Aulic. Anno 1687. Balthaſ Gratian. *Vir Aulicus*, *ex Idiomate Hiſpanico in linguam Gallicam tranſlatus ab Amelot de la Hoſſaye.* Auth. Anonym. *Lib. l. Gall. de la Civilité françoiſe &c.* in eand. Claſſem referunt *Legatos*, quos in comparatione univerſæ Reip. tanquã perſonæ moralis cum homine, linguæ munia ſubire, dudum Politici annotârunt; Et his ſolenne eſt, affectû & benevolentia in amicitiam & nomine Principis, aut Reipubl. mittentis offerre. Impletur autem id genus officii maxime in Legationibus ſolen. & illis quæ extemporaneis miſſionibus,

quæ

quæ *officioſæ* vocari ſolent, ubi verba honoris, non citra inſigne ſimulandi diſſimulandique artificium, effundi, nimis proh! dolor notum eſt. Exempla ex Actis Legationum, præcipuè à Scriptoribus Gallicis ſub titulo: *Memoires des Ambaſſadeurs &c.* collectis huc conducere, inſtituti ratio non patitur. Speciminis tn. loco inſervire poſſet Oratio *Thadei Quirini* Patritii Veneti, ad *Frider. III.* Roman. Imp. nomine Reip. ſuæ habita, cui in fine ampliſſimam Stylo curiali annexam oblationem his verbis legimus: *Omnia certè, quæ noſtra ſunt, ſumma, parva, mediocria, tua eſſe volumus: Hæc Tibi publicè offerimus, atq; omnia deferimus. Unum illud certò perſvaſum Tibi eſſe volumus, quod minimè dubitamus, cæteris rebus fortaſſe ab aliis non potuiſſe vinci, ſtudio certè erga Te, animo, voluntate, non modò cæteris non ceſſiſſe, ſed cum Tuis etiam contendiſſe.* apud Goldaſt. *Polit. Imper. Part. 21. pag.* 973. Quid de Oblatione Gibeonitarum, quâ ſervos ſeſe Iſraëlitarum in primo ſtatim alloquio profeſſi ſunt, *Joſ.* 9. *v.* 8. habendum ſit, an congruum promiſſionis, ſub verbis honoris factæ, exemplum præbeat? plenius disquiritur in Diſput. Dn. Præſid. *de Pact. Joſuæ cum Gibeon. init. §. 11. & 12.* ubi ex materia ſubſtrata, totiusque rei geſtæ ſerie negativa adſtruitur. Quibus ſuperaddi poteſt ratio ab indole & inſtitutis Reip. Ebræor. deſumpta, quòd videlicet fœderis capita ſeu conditiones, quæ depoſcebãtur, & ſine quibus Pacem non inibant *Ebræi*, cùm ad eam hoſtes invitarentur, his ferè articulis comprehendebantur. I. Ut ſeptem præceptorum, quibus obſtricti erant Noachidæ, profeſſione ſe obligarent. II. Ut ad tributum præſtandum ſe obſtringerent. III. Ut ſervilem in ſe ſuſciperent erga Imperium Iſraëliticum cultum. Servitus autem illa, ſ. cultus ſervilis, ex interpretatione Seldeni, non ſolùm ejusmodi erat, ut Imperii Iſraëlitici Majeſtatem perpetuò comiter atque cum obſequio obſervarent, ſed etiam ut ſe planè dederent, & ſub illius ditione ſe degere agnoſcerent; *de Jur. N. & G. juxt. diſc. Heb. L. 6. c. 14.* vel, *ut*, jx. Maimonidem, *humiliter ſe gererent, nec caput levarent inter Iſraëlitas, ſed eorum poteſtati ſubjecti, nullam ob cauſam omninò in præfecturam aliquam, quâ coërcentur Iſraëlitæ, eveherentur.*

§. XX. Cæterùm, cùm longè frequentiores de *Voluntate*, quàm de *facultate* ejus, qui aliquid dicit, aut ſcribit, ſuboriantur dubitationes, nec ab hac ad illam congruè inferre liceat, in dubio, ubi ſcilicet de ſenſu verborum non ſatis liquidò conſtat, ad *præſumptiones* faciliùs eliciendas, multùm intereſt, noſſe *qualitatem* & *conditionem* Subjecti *activi* ſive

loquentis, an ab ignoto & peregrino, an ab amico, perſona conjunctâ, familiari, &c. prolata ſint. Sic quoque in *Ebrietate*, & ea quidem, quæ ad ſummum gradum pervenit, & mentis quaſi alienationem inducit, quæcunque dicuntur, magis *effuſa*, quàm verè dicta cenſentur. Neque enim pro vero & deliberato conſenſu haberi poteſt, ſi quis vel maximè momentaneo & inconſulto impetu in aliqvid inclinet, aut ſigna quædam edat, conſenſum aliàs exprimentia, eo tempore, quo mens velut loco ſuo mota fuerat. Inde in actibus indifferentibus, & quos ſuſcipere & omittere in cujusvis eſt arbitrio, id efficit ebrietas, ut ne actû effectus ille ſequatur, qui ſecuturus erat, ſi deliberato animo fuiſſet ſuſceptus. Quin & impudens foret, tale promiſſum velle exigere, ubi imprimis ejus impletio cum inſigni onere eſt conjuncta. Aut ſi quis ebrietatem eam captavit, & obſervatâ alterius facilitate promiſſum aſtutè elicuit, ne abs doli quidem, fraudisq; crimine im̃unis erit. Quod ſi verò ad paulò largiorem invitationem, quæ non tàm rationem obfuſcat, quàm ad hilaritatem provocat, quis in verba exteriori figura promiſſionem inferentia prorumpat, haud dubitamus, ex ſtatu præſenti loquentis aliquam conjecturam, ad eruendum verborum dictorumque ſenſum, colligi poſſe. Sic quoq; qui quoad mores *externos* inconcinni, tædioſi, nimis ſeveri, rigidi, auſteri, agreſtes &c. ſunt, non equidem ſimpliciter inhabile Subjectum audiunt, cùm tamen rariùs ſtylũ aulicum ſectentur, in dubio præſumptioni, quòd verbis *curialibus* uſi ſint, haud facilè locum concedunt.

§. XXI. Circa Subjectum *paſſivum*, ſive perſonas, ad quas diriguntur verba honoris, nihil ferè quod peculiariter moneamus, occurrit. Diriguntur enim ad omnes, qui ſignorum reverentiæ, humanitatis & benevolentiæ, aliquem intellectum habent. Quod cùm fruſtra expectemus ab iis, qui rationis uſu deſtituuntur, non attinet, de his aliquid dicere. Illud verò disquiri meretur: *an ad Deum Verba Honoris dirigere fas ſit?* Non quærimus hic de verbis fucatis, adulatoriis, &c. His enim adverſus Deum uti, non ſolùm extremè irreverens foret, quaſi nuda apud eum veritas æquè non ſit efficax, quàm ficti colores, ſed etiam ſtultiſſimum, quippè cui ad cognitionem veritatis noſtro ſermone opus non eſt. v. *Hebr. 4. vſ. 13. Ezech. 11. vſ. 5. Matth. 6. vſ. 4. Pſalm 139.* Nec de titulis, quibus *attributa* Dei ſumma cum reverentia in precibus quotidianis recenſemus; Rationi quippè congruum eſt, circa attributa Dei utcunque exprimenda, uti nomini-

bus

bus vel negativis, uti infinitus incomprehenſibilis, immenſus &c. vel ſuperlativis, ut optimus, maximus, potentiſſimus, ſapientiſſimus, &c. eo ſenſu, ut non tàm velimus, quid ſit, diſtinctè dicere, quàm noſtram admirationem & obedientiam qualicunque expreſſione profiteri, quod eſt ſignum animi humilis, & animi honorantis, quantùm poteſt Puſend *d. Off. Hom. & Civ. L. 1. c. 4. §. 6.* Sed quæſtio in eo vertitur: An ſubditi, vel qui his proxime accedunt, Verba honoris v. g. Titulos, Dignitatem, Potentiam & præeminentiam ſignificantes in oratione & precibus, ad DEUM pro Summi Magiſtratus Politici incolumitate directis, conſcienter adhibere poſſint? Scrupulum deſuper moverunt *Erffurtenſes* An. 1660. cùm ab Electore *Moguntino* poſtularetur, ut precibus publicis, pro ipſo ad DEUM fundendis, titulum gnädigſter Herr insererent, in de gründl. Deduction der Stadt Erffurt / ubi ſequenti dilemmate poſtulatum iſtud modeſtè declinare annitebantur: Der Titul Gnädigſter Herr bedeutet entweder die gantze Lands-Fürſtl. Obrigkeit über die Stadt / oder iſt ein bloſer Ehren-Titul: Iſt es das Erſte / ſo können wir uns dazu ohne Verletzung unſers Gewiſſens durchaus nicht verſtehen / in Betrachtung das hochlöbl. Ertz-Stifft mit Beweis der prætendirten Superiorität niemalen fortkommen können; Iſt es das Andere / können wir nimmermehr glauben / daß Ihro Chur-Fürſtl. Gn. / als welche den Ruhm eines friedliebenden / ſanfftmüthigen Herrn haben / begehren ſollten / daß wir und die gantze Gemeind vor GOttes Angeſicht mit ſolchen Ceremonien und Ehren-Titul tretten / und allda Complimenten machen / widrigen Falls aber / und wegen Unterlaſſung ſolcher GOtt ungefälliger Ceremonien / der militariſchen Execution und gäntzl. unſerer unſchuldidigen Kinder / und der gantzen Stadt Untergangs gewärtig seyn ſollten. Diar. Europ. *Part. 11. App. pag. 59. & ſeqq.* Nec deſunt *Exempla* modeſtorum Principum, qui, quanquam dignitatis & Jurium ſuorum tenaciſſimi fuerint, titulos tamen aſpernati ſunt, qui Juris conſervandi gratiâ non uſurpantur, nec, præter nudam oſtentationem potentiæ, effectum aliquem poſt ſe relinqunt. De *Ludovico* Francorum Rege tradunt, quod, rogatus à quodam, quo titulo geſtorum ſuorum ornari vellet? reſponderit: *Victoriâ, quæ in Eccleſia Poſſiaca contra Diabolum, dum baptizarer, mihi obtigit; in hac glorior & triumpho, ab hac Ludovicus Poſſiacus denominari volo*; Pet Greg. Tholos. *Synt. Jur. L. 1. c. 11. n. 14.* Cui non abſimilis *Chriſtianus III*, Rex Daniæ, qui

in Eccleſiaſten ſibi titulos tribuentem objurgavit: *M. Andreas, an erudiam Te, quomodo à peccatis homines abſolvere debeas? Ingenua hîc procumbo, non tanquam Rex, ſed miſer peccator, mecum agas non ut ſubjectus cum Rege, ſed ſicut Pater cum filio, legatus Chriſti cum oviculis ſibi commisſis, non appellor hîc potentiſſimus, ſereniſſimus, &c. ſed ſimpliciter Chriſtianus.* Gockel. *de Reg. Europ. c. 1. n. 164.* Et noſtris quoque temporibus inter Sacra titulos, in actibus civilibus uſurpari ſolitos, nonnullis in locis omitti, ſatis conſtat. Quem morem ſi quis imitandum ſibi ſumpſerit, variis rationibus eum commendari deprehendet. Ipſe quippè Deus, utut Majeſtate infinitâ præditus, ſimplicitate tamen delectatur, nec titulis à nobis urgeri vult, ſed fidei ſinceritate invocari. Unde etiam precum formulæ, in Scriptura occurrentes, plerumque non abundant titulis, & ipſe Chriſtus in Oratione Dominica, quæ compendium & exemplar eſt omnium precum, nomen Paris præfixit, absque titulorum ambitu *Matth. 6.* Quod ſi v. nudâ & ſimplici compellatione apud fontem omnis Dignitatis bonique ordinis defungi ſatius eſt, qui ejus Vicarium, divinæ quoque opis, ſuſpiriis noſtris emendicandæ, indigum, titulorum apparatu ornabimus? His accedit, quòd in regulas *decori*, judicio omnium, qui iſthæc exquiſitioni trutinâ expendere norunt, non leviter impingat, qui in oratione vel literis ad ſummum Principem directis, inferiori, cujus mentio, re ita ferente, injicienda eſt, titulos honoris apponit; quâ fronte igitur Regi Regum negabitur, quod Vicario largiri reverentia jubet? maximè cùm titulus Statum ejus, pro cujus incolumitate preces ad Deum mittuntur, deſignans ſufficiat, & quicquid prætereà accumulatur, vanitatis aliquid habere videatur Deoque indignum, qui in nominibus haud acquieſcit, nec ad externa reſpicit, ſed corda & renes probat, ſuſpiria poſcit & gemitus, non pompam ſeculi. Conf. Keſler. *Theol. Caſ. Conſc. cap. 9.* Dedekenn. *conſ. Theol. Vol. 1. Tit.* vom Predig-Ampt. *Membr. 3. Sec. 2. N. 18.* Voët. *Pol. Eccleſ. part. 1. L. 2. Tr. 2. cap. 1. p. 505.*

§. XXII. Enimverò *duo* in præſenti disquiſitione ſigillatim uberius examinanda occurrunt. (1.) An *ſubditi*, citra Conſcientiæ ſcrupulum, formulam à ſuperiore præſcriptam uſurpare poſſint? (2.) An ipſe *Princeps* iſtiusmodi formulam conſcienter præſcribat? Quod *prius* attinet, officium civis generale hîc aurem vellicat, quod tribus præcipuè partibus, *fide, obſequio* & *reverentiâ* abſolvitur. *Hæc* cùm non tantùm ex metu potentiæ, quâ Princeps pollet, ſed ex dictamine conſcien-

ſcientiæ, quâ civis novit, Principes eſſe Dei Vicarios, oriatur, in animo civis honorem & venerationem excitat, & externis ſignis, maximè verò ſermone venerabundo, proditur. *1. Petr.* 2. ℣ſ. 17. jung. *Luc.* 22. ℣ſ. 25. *Rom.* 13. ℣ſ. 7. Hinc tituli: Majeſtas, Altitudo, Serenitas, Excellentia & ſimiles, civili uſu recepti. Add. Senec. *de Clem. c.* 14. Ad *fidelitatem* v. debitum Principi amorem cōmuniter referri videmus, qui in Homagii formulis, vocabulo hold / ſive huld ſeyn, apud Germanos exprimitur, & præcipuè precibus, pro ſalute ejus ad Deum fuſis, adprobatur. Quem enim amamus, ei benè cupimus. Requirit hinc Apoſtolus. *1. Tim.* 2. ℣ſ. 2. ut pro Regibus, & omnibus in Dignitate conſtitutis, preces fiant. Id quod Veteres Chriſtianos feciſſe, multis eorum teſtimoniis confirmari poſſet. v. è pluribus Tertull. *ad Scap. c.* 2. & in Apolog. *c.* 30. 31. & 39. *Obſequium* denique propoſitum explendi mandata Imperantis involvit. Qui enim commodis cōmunibus Civitatis gaudere vult, eum oportet quoque Imperium tenenti morem gerere: quippe quod ſine obſequio civium conſtare nequit. Et quamvis ſub iſta *conditione*, ſi juſſa Imperii Civilis cum Jure naturali & divino non pugnent, v. *Actor.* 4. ℣ſ. 19. obſequium promittere videantur omnes probi homines, qui norunt, de ſuis actionibus ſe Deo rationem redditurus, fruſtra diſſentiente, vel ſibi non ſatis conſtante Hobbes. *de Civ. c.* 12. & *Leviath. c.* 29 jung. *de Civ. c.* 6. §. 13. c. 15. §. 18. & *ſeqq.* In iis tamen, quæ divinis literis manifeſtò *non* repugnant, nec ibi ſatis *determinata* ſunt, parendum omninò eſt. Hinc cùm precum formulas præſcribere ad curam ejus, cui jus & poteſtas externa circa ſacra competit, indubiè pertineat, & Apoſtolus ſubjectos nos eſſe velit Regi S. Principi, ut *ſupereminenti*, etiam propter *conſcientiam*, ſufficere poteſt ſubdito ſuperioris Authoritas, ad tranquillandam conſcientiam. jx. illud Bernhard. *Sive Deus, ſive homo Vicarius Dei mandatum quodcunq; tradiderit, pari profectò obſequendum eſt cura, pari reverentia deferendum, ubi Deo contraria non præcipit homo. de præc. & Diſp. c.* 12. Quin &, ſi dubium *ſpeculativum* forſan eidem ſuper æquitate præcepti ſuboriatur, quod determinatum & conſtans intellectus judicium ſuſpendere videbatur, vel eo ipſo dubium deponere, actumve licitum credere debet, quòd à Principe ſuo, legitimâ poteſtate inſtructo, eundem proficiſci non ignorat. Eſt enim boni civis officium, optimè ſemper & quàm ſanctiſſimè de Principe ſentire, quem Virum bonum eſſe, qui tot bonis præeſt, omninò convenit. Et juſſa

Digitized by Google

ſemper comitatur *præſumptio* honeſtatis & juſtitiæ, ubi *manifeſta* iniquitas aut turpitudo non apparet. Longè quoque præſentius eſt peccandi periculum, citra ſufficientem cauſam Mandatum Principis negligere, quàm non obſtante ſcrupulo aliquo illiquido, illud exequi. Conf. in ſimili B. Luth. *Tom. 3. Jenenſ. fol.* 328. Pufendorf. *de Oblig. erga Patr. §. 16.* & *de J. N. & G. L. 8. c. 1. §. 6. & 8.* Fabric. *de Limit. Obſ. hum. in Opp. Theol. noviſſ. edit. p. 371. & ſeqq.*

§. XXIII. Quantùm ad *poſterius*, non equidem negamus, Principem & hîc jubendo terminos officii ſui excedere, aut ex *circumſtantiis*, rei in ſe aliàs innoxiæ, pravitatem conciliari poſſe, ut ſi v. g. ſub titulis inſolitis & faſtuoſis, quales apud Orientales populos hodiè adhucdum in uſu ſunt, preces fundere jubeantur ſubditi. De Domitiano Imp. refert Svetonius, quod ne ſcripto quidem ac ſermone cujuspiam aliter, quàm Dominus & Deus noſter ſalutari voluerit. *in vita ejus c. 13.* Rex Perſarum Sapor, Cæſari Conſtantino ſcribens, eo inſolentiæ proceſſit, ut ſe Regem Regum, ſiderum, Solis & Lunæ fratrem appellaret. Amm. Marcellin. *Hiſt. L. 17.* Quo & pertinent ineptæ illæ Turcicorum, Perſicorum, aliorumq; Barbarorum Regum tituli, quando ſe ſolis fratres, natos ante Luciferum, flagella Dei, impia & veſana ambitione compellari & ſalutari non erubeſcunt, quorum ſtultitiam in Arſace Perſa ſvaviter riſit Veſpaſianus, uti ex Xiphilino narrat piccard. *Deciſ. 4. obſerv. Hiſtor. Polit. cap. 10.* Illos autem *Honoris* titulos, quos cultiores Europæi ſuis precibus miſcent, citra vanæ cujusdam *Titulomaniæ* cenſuram, tolerari exiſtimamus, cum Dn. Stryck. *in not. ad Brunnemann. Jus Eccleſ. L. 1. cap. 1. Membr. 6.* §. 8. *tùm* quia ſana ratio ſvadet, ut ordo dignitatum & diſcrimen perſonarum habeatur. *t. t. C. ut ord. Dign. ſerv.* & proin per Jus naturæ fas eſt, diſcrimen illud titulis exprimere: *tùm* quia nec Jus divinum, intra terminos modeſtiæ coactæ titulorum uſurpationi, refragatur. Ipſe Dei *Sauli*, *Davidi*, & aliis Regis titulum indulſit; Nec aliorum titulos modeſtos carpere juſſit Salvator noſter *Luc. 22. ℣ſ. 25.* Rectores Civitatum ipſemet titulo *Evergetarum* dignatur, & D. Petrus loco ſupr. alleg. præcipit, omnes honore proſequi, præcipuè Regem; Id verò & per titulos fiere poſſe, nemo ambigit, non obſtant. *Matth. 23. ℣ſ. 8.* ad quem locum vid B. Oſiand. *Th. Caſ. P. 5. p. 479. tùm* quia moderatus titulorum uſus non tollit ſimplicitatem cordis in eo, qui pro felici Magiſtratus imperio & ſalute omnigena pias cæteroquin preces ad

Deum